

DECLARATIO.

quam quotidianis moletrinis sit opus, modo labatur aqua è cliuo paulum editiore.

Declaratio 28. figura.

Non quidem omnibus sed opinor multis noua est hæc moletrina ratio, cum plerisque in locis ea opus non sit, sunt tamen Tolosæ multæ eiusmodi & aliis locis. Rota huius volubilis quæ est ad meridiem, est molæ lapideæ parallela, in quâ ab oriente aqua fluit, cum tamen nihil intersit à qua parte fluat. Ea autem est huius machinæ commoditas vt viliori prætio fabricetur cum in ea nullus sit vsus timpano: cætera ex figura patent.

PROP. XXIX.

Noua organi musici forma, cuius fides metallica digitis & plectro pulsata concentum edunt varium & incun- dum, modis temperatum paribus, quibus lyra & buccina soni quodammodo referuntur.

Declaratio 29. figura.

Scito esse deffectuosum ita à me non explicatum.

PROP. XXX.

Artificium nunquam visum, quo parua hominum manu, trasuehantur è lapidicinis colomnarum & obelisco- rum moles ad regionum ædificiorum cum venustatem, tum perpetuitatem.

Declaratio 30. figura.

Tota huius machinæ vis est in vicissitudine tornorum. Sunt enim tres torni circa quos ita glo- meratur funis vt finis illius sit in meridionalibus tornis: sed vt melius percipias, transuehandum saxum est septentrionale subuectum palangis circa axem sese voluentibus ad instar rotæ, in palā- gum horum facie compaginis est tornus, deinde, in meridie etiam est alter tornus iuxta lineam ipsam meridionalem in quo sunt funum fines primi, hic immobilis est vt & alter qui medius est ab eo distans 13. p. in quo sunt prædictorum funium fines alii. Iam verò duobus hisce ad se saxum adstrahentibus, multum virium ab alio confertur: nam cum inuolutus sit ei funis idem iuuat vt- trunque tornum, vnde facillè attrahunt molem saxeam, quod experientia licet videre.

PROP. XXXI.

Machina noua ad tollenda in carros & vehenda ingentia onera per loca peruia, idque si non planè ea celeri- tate, qua vulgò fieri solet, saltè minore sumptu & opera, tum æquorum, tum hominum.

Declaratio 31. figura.

Ex antecedentis ratione pendet huius machinæ artificium, duo autem hic consideranda sunt, nam eleuatur pondus & vehitur. Igitur videamus quæ ad primum spectant.

Ab oriente ad occidentem vergit capra de cuius vertice pendent duæ pyramides quadrilatè- ræ quarum bases sunt parallelæ, in vtraque earum sunt multæ trochleæ, in superiori tredecim, in inferiori duodecim ad angulos pyramidum constitutæ vt in figura ad illius latus constituta ap- paret. Circa has trochleas circumuoluitur chorda ea ratione qua in tornis antedictis, hæc extre- mitate vna annulo à vertice capræ distatè 1. m. 6. p. ligata est in pede meridionali, altera verò extre- mitate, torno à vertice distante 1. m. 19. p. Tornus autem hic iuuatur trispasto in finè illius septen- constituto, estque instrumentum illud quod vulgò dicimus cochleam infinitam, cuius figura est in 39. figura vergens ad angulum occidentis & septentrionis, in hoc trispasto tanta vis est vt ver- bis explicari nequeat. Reliqua quæ heret apici pyramidis inferioris sunt manus & harpagines ad arripiendum onus.

Cæterum, vt hoc idem onus deuehatur sunt tres currus quorum meridionalis est quatuor ro- tarum, alii verò duarum tantum. In vltima parte meridionalis currus, est tornus in quo circum- agitur funis aliis duobus curribus alligatus, quorum vnus est in septentrionali linea, alter verò distat paululum ab eo, in horum duorum extremo est tale instrumentum quale hic videtur in va- cuo ad angulum occidentis & septentrionis, ne currus recedant. iam iis pergentibus & torno iu- uante leuiter subuehitur onus: quod est propositum.

PROP. XXXII.

Artificij genus exportandis mercibus nauigiisque trahendis aduerso flumine aptum, nullo flante vento pau- cioribus equis ac minore sumptu quam vulgò solet.

B. iii.